

Cap. 10 [Beatus Conradus fit cellerarius, ei Christus apparet velut recentibus vulneribus saucius]

In angelico vultu beati viri Conradi tanta virtutum insignia radiabant, ut quique fideles habitudinem eius corporalem intuentes mira devotione venerarentur et affectu atque delectarentur eius gratioso aspectu. Exterior enim facies indicabat, quanta puritate et mansuetudine animi interior homo redundabat. His spiritualibus ornamentis decoratus erat^o vir venerandus, cum cellerario maiore sacra domus Hegene caret. Abbas et seniores domus odore virtutum eius allekti pari voto et communi consilio Conradum dispensatorem et patrem constituerunt. Quo officio suscepto ipsum tanquam a deo sibi creditum in omnibus prudenter et fideliter administravit. Denique in prudentia responsionum suarum et in gratia sibi data desuper domesticis sic satisfaciebat et exteris, ut paene nemo abbatem requireret, cui cellerarius prior occurrisset. Interea deo permittente permagna karistia provinciam Hassiae turbavit. Illoque anno germina agrorum prae sterilitate nimia adeo perierunt, ut in eadem provincia Hassiae difficillime inveniretur annona pretio pecuniae comparanda. Unde cellerarius anxius et sollicitus timuit, conventum magnam inedia[m] oportere pati vel saltem importuno debitorum onere molestari. Postulavit ergo ab abbate, ab officio suo absolvi et alteri cedere, quasi qui posset forsitan conventui melius providere. Abbas vero voluntatem cellerarii senioribus suis patefecit et super eo consilium eorum requisivit. Placuit autem omnibus definito consilio, cellerarium pro retentione officii sui esse rogandum, cum non posset alius ei similis inveniri. Eadem etiam vice ingressus est dei servus oratorium et in oratione humili a domino requisivit consilium. Cui dominus Iesus quasi rubentibus adhuc et recentibus vulneribus suis apparere dignatus est et servus Christi devotus lacrimosis oculis intuens in dominum suum et vulnera ipsius sic ait: „Mi domine Iesu, da mihi cognoscere beneplacitum voluntatis tuae de officio meo et illud laete et libenter adimplebo.“ Ad quem dominus: „Non est meus verus amicus, qui mei servitii detrectat sustinere onus.“ Et rursum: „Meum est“, inquit, „providere et omnia procurare.“ Et addidit: „Tu tantummodo sta in^p iustitia et timore meo et ego semper tecum ero.“ Ad quod Conradus illud beati Martini respondit: „Laborem non recuso, fiat voluntas tua, domine mi⁶.“ Et iterum: „Domine, quomodo me denuo

o) fehlt *W*₁. p) *dahinter wiederholt* in *W*₁.

6) *Sulpicius Severus, Epistola 3, 11, hg. von Karl HALM (CSEL 1, 1866) S. 148.*